



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**L. Annæi Senecæ Philosophi Opera, Qvæ Exstant Omnia**

**Seneca, Lucius Annaeus <Philosophus>**

**Antverpiæ, 1605**

De Vita Et Scriptis L. Annaei Senecae.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53700](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53700)

## CAPVT I.

*De patriâ, & parentibus.*

Lib. iii.

IRORVM illustrium vitam prodere, vetus institutum: & quorum ingenia, scripta, aut facta miramur, iuuat alia nosse, quæ adhæserunt. De Senecâ igitur, quatenus potest, dicam: & colligam ac disponam, ex ipso & variis scriptoribus, quod huc facit. Patriam ei Cordubam fuisse constat, veterem florentemque in Hispaniâ Baticâ coloniam: atque ad eam in iis regionibus primam. Strabo aperte: Πλεί-  
στον ὃ κώρδουβα ἦν ἐστὶν, μαρκελίου κτίσμα, καὶ δόξη ἔδιδωκεν, ἢ τὴν Γαδτανῶν πόλιν. ἢ μὲν διὰ τὰς ναυπλίας, ἔδιδε τὸ πλεονέκτημα ῥωμαίοις κατὰ συμμαχίας: ἢ δὲ, χωρὶς ἀρετῆς, καὶ μεγέθει, περιλαμβάνοντες τὸ ποταμὸν βαίον μέγα μέγεθος.

*Plurimum inter Hispaniâ Batica vrbes Corduba aucta est, Marcelli opus, gloriâ & potentiâ: itemq; Gadicana vrbs. Hac quidem ob navigationes, & Romanorum societates; illa verò, ob regionis bonitatem, & amplitudinem, Bati etiam fluuio multum huc conferente.* Laudat, & simul veterem ostendit, *Marcelli opus*. Cuius? Prætoris, an Consulis? Nam Prætor Hispaniam obtinuit M. Marcellus, ex Liuius, anno Vrbs DLXXXV. etsi in pace & otio, vt videtur. eoque magis inclinem, coloniam ab hoc deductam, fortasse & opidum auctum ornatumque. Neque enim nouum planè conditum, vel Silius dixerit: qui iam tempore Annibalis Cordubam nominauit. Ad illum igitur magis, quàm ad Consulem Marcellum rettulerim, qui anno DCI. Hispaniæ præfuit, sed *citeriori*, vt est in Epitome, & ex Appiano colligas: atque ibi re feliciter gestâ, triumphauit de Celtiberis. Itaque nihil est tunc fuit cum Baticâ, aut Cordubâ nostrâ: quæ est in Hispaniâ vltiore. Ad dit porro amplius Strabo: ἠρχὸν τὸ ἐξ ἀρχῆς ῥωμαίων τὰ ἐπιχωρίων Ἰνδιέκτοι ἀνδρες. ἔδιδε τὸ πλεονέκτημα εἰς τὴν πόλιν, ἔσειλον ῥωμαίοι: *Habitarunt hanc Cordubam ab initio selecti Romanorum, & indigenarum: atque ad eam primam hanc in ea loca coloniam miserunt Romani.* Nota, de Selectis. Ita enim fuit: eoque obtinuisse postea credam, vt *Colonia Patricia* diceretur.

Lib. xi.  
iii.

Plinius aperte: *Corduba, colonia Patricia cognominata.* Et in Augusti nummis, PERMISSV. CÆSARIS. AVGVSTI. caput eius: tum parte alterâ, COLONIA. PATRICIA. Cui titulo causam dedisse arbitror, quòd splendida & diues, Patres ac Senatores etiam rei Romanæ daret. Nam iam Augusti æuo, ex prouinciis passim in Senatum legebantur. Sed ait & Strabo, *primam coloniam*

Lib. iii.  
cap. i.

Plinius aperte: *Corduba, colonia Patricia cognominata.* Et in Augusti nummis, PERMISSV. CÆSARIS. AVGVSTI. caput eius: tum parte alterâ, COLONIA. PATRICIA. Cui titulo causam dedisse arbitror, quòd splendida & diues, Patres ac Senatores etiam rei Romanæ daret. Nam iam Augusti æuo, ex prouinciis passim in Senatum legebantur. Sed ait & Strabo, *primam coloniam*

coloniam



coloniam eò missam: quod cautè lege. Nam *Carteia*, in eadem Baticà, iam ante colonia deducta, à L. Canuleio Prætorè: sed quia ex parùm honestis, *Libertinorum* appellata fuit. Leges in Liuiò, initio libri XLIII. Tueri tamen Strabonem possis, fortasse & debeas: quòd non missi coloni illi Romà aut ex Italià, sed ibi nati ex militibus Romanis & feminis Hispanis, permittente Senatu, hybridæ isti libertate donati sint, & in colonià collocati. At Strabo *missam primam* disertè scripsit. Satis de Cordubà: atque hæc patria fuit. qui parentes? E gente *Annæa* fuisse liquet: cui, ominis causâ, ab annis videtur nomen factum: respondetque cognomen *Seneca*, item ominis boni. Ita enim ego opinor primò inditum: cti Isidorus, *eum qui primus ita dictus sit, canum fuisse natum*, arbitretur. Sanè *Seneca*, vel vt veteres, *Senica*, (est enim à *Sene*, *Senicis*.) *γεννησις* significat, vt *Senecio*. Videatur Nonius, in *Senica*. Addo, quòd in alià etiam gente reperio hoc cognomen, vt in *Accià*, lapide præfco: *M. Accio. Seneca. . . . Manlio Planta u. vir. Quinq.* Sitne autem stirpis Hispanæ gens Annæa, an in coloniã ex Italiã missa, haud affirmem: illud tantùm, Equestrem etiam fuisse. Ita Seneca ipse de se, apud Tacitum: *Egòne equestri & provinciali loco ortus, proceribus ciuitatis ad-* Lib. XIII.  
*numeror? inter nobiles, & longa decora præferentes, nouitas mea enituit?* Pater igitur, fortasse & auus, inter Equites: neque vltra. Nam de *Nouitate* suã mox subiungit, non facturum, si qui maiorum ad honores peruenissent. Pater autem à se scriptis que suis etiam notus, *L. Annæus Seneca*: quem *Declamatoris* agnomine (in hoc genere excelluit) à filio ferè distinguunt. Exstant non ipsius, sed alienæ ab eo digestæ Declamationes: quas Præloquiis, aut Interloquiis distinxit: & vel sic come atque amicum ingenium suum satis ostendit. Vxorem habuit *Elbiam*, item Hispanam aut Hispaniensem, magni animi atque ingenij feminam, vt filius eam (in Consolatione ad ipsam) satis descripsit. Pater, Augusti temporibus, Romam venit; & secuta mox vxor cum liberis, cumque ipso hoc Senecã nostro, adhuc tenello. Diu ibi in gratiã & famã vixit, rem fecit: & ad vltima Tiberij censeo ætatem produxisse. Inducit me, quòd Scianianæ coniurationis mentio est in eius libris, & alia quæ huc spectant. Omitto, & ad filium transeo, de quo proposui.

## CAP. II.

De ipso L. Annæo Senecã, eiusque fratribus: ubi natus, & quando Romam delatus.

Is natus Cordubæ, & puer inde Romam translatus: quod ita indicat ipse, *Ubi materteram laudat. Illius manibus in urbem perlatus sum; illius pio* Confol.  
*maternoque nutricio, per longum tempus eger, conualui.* Si manibus perlatus, ad Helu.  
cap. XVI.  
puerili in ætate oportet fuisse: & vides languisse tunc etiam, & operã cura-  
que eiusdem focillatum. Hoc ego euenisse colligo decimoquinto, aut circiter  
anno, ante Augusti excessum: argumento ab adolescentiã Senecæ in Tiberij  
æuo, mox dicendo. Ergo nec pater diu antè Romam migrarit. Fratres duos  
B habuit,



Ad Helu  
cap. II.

habuit, neque vllas forores. ex verbis eius ad matrem: *Carissimum virum, ex quo trium liberorum mater eras, extulisti*. Hi tres autem, M. Annæus Nouatus, L. Annæus Seneca, L. Annæus Mela fuerunt: nati ordine, quo recitavi. Hoc ex Controuersiarum inscriptionibus liquet, vbi sic, et si cognominibus solis, recensentur. Maximus autem fratrum nomen mox mutauit, & in Iunij Gallionis transit, ab eo adoptatus. Qui Gallio Senecæ patri in Declamationibus aliquoties nominatur, & *Noster* ei dicitur: siue à communi patriâ, Hispaniâ; siue ab amicitia, quæ cum eo fuit. An & necessitudo aut cognatio? nescio, suspicor tamen ob hanc adoptionem. Est autem ille *Gallio*, qui *Pater* Quinctiliano agnominatur, itemque Tacito, sexto Annalium. *Noster* autem iste adoptiuus in Eusebiano Chronico, *Junius Annæus Gallio, frater Senecæ, & egregius declamator*, dicitur: an duplici illo gentis nomine (quod tamen veteribus rarum, imò non fuit) vt notet in quam adoptione iuit, & in quâ naturâ fuit? Apparet, si recta est nomenclatura aut scriptura. Est ille, ad quem libros *De Irâ* noster scripsit & misit, quem in iis *Nouatum* appellat: at eundem, in inscriptione *De vitâ beatâ*, *Gallionem fratrem*; itemque in Epistolis, *Dominum suum Gallionem*. honestè, vt fratrem scilicet seniore. Sed obserua igitur, non adoptatum videri, quo tempore libri *De Irâ* scripti, id est Caio viuo: postea denique, & tunc cognomen mutasse. At frater minimus, Annæus Mela est, Tacito, Dioni, & Eusebio nominatus, qui eques tantum Romanus (nam prior ille Senator fuit) Lucanum filium genuit, *grande adiumentum* (ait Tacitus) *claritudinis*. Atque hi igitur tres fratres, de quibus Martialis capiendus:

*Et docti Senecæ ter numeranda domus.*

Doctum vocat, illum Declamatorem: triplicem domum, tres filios familiarisque dictas.

## CAP. III.

*Adolescentia eius, præceptores, & studia.*Epist.  
CVIIT.Lib. II.  
Annal.  
in fine.. Quest.  
cap. I.

**P**VER igitur Romam venit, atque ibi, in optimis artibus, optimum ingenium adoleuit. *Adolescentia* eius in *Tiberij principatum incidit*, vt ipse fatetur: idque eo tempore, quo *aliena sacra mouebantur*. Is fuit annus Tiberij quintus, Urbis conditæ DCCLXXII: quod ex Tacito est manifestum, qui *sacra Aegyptiaca & Iudaica pulsa* eo anno scribit. Itaque Seneca tunc plenam adolescentiam egerit, viginti aut vigintiduum annorum. Nam ætatem grãdiusculam sub ipso Augusto habuisse, ex eo liquet, quòd cometam, siue flammam, ante excessum eius obseruauerit, de quo prodit: *Vidimus ante Diui Augusti excessum simile prodigium*: nec planè pueris talia curiosè adnotentur. Præceptorem in eloquentiâ habuit ipsum patrem, opinor: atque id Controuersiarum libri & Præfationes dicunt. Cur autem non optimus senex, qui alios ducebat & docebat, suos in hac viâ dirigeret? Fecit, & duos egregie disertos reliquit, Gallionem, & nostrum: nam de Melâ nihil legi. Ille est Gallio, quem à suauitate eloquij Stadius commendat:

Hoc



*Hoc plus, quàm Senecam dedisse terris,  
Et dulcem generasse Gallionem.*

Sonante & tinniente quâdam eloquentiâ fuisse, auctor libelli De caussis corruptæ eloquentiæ ostendit: qui commemorat, *tinnitus Gallionis*. Si tamen huius, non patris. At noster, præter eloquentiam, philosophiæ magno impetu se dedit, & Virtus elegantissimum ingenium rapuit, etsi patre renitente. Ipse non semel ostendit, auersum eum à Philosophiâ fuisse, vxorem & se auertisse: imò odisse, palàm alibi scribit. Ardor tamen filij vicit, & insignes ac serios eius æui Philosophos assiduus audiuit: nominatim, *Attalum* Stoicum, *Sotionem* eiusdem sectæ, etsi Pythagorissare etiam visus, itemque *Papirium Fabianum*: quos & nominat identidem, ac gratâ memoriâ laudat. Sotio- ni quidem puer etiam operam dedit, scribitque: *Modo apud Sotionem puer* <sup>Epist. XL-IX.</sup> *sedi*. Sed & *Demetrium Cynicum* admiratus est, & coluit: sæpe cum eo item grandior & iam in Aulâ, domi forisque versatus. Nam & in viâ ac peregrinatione habebat. Iste ad honesta impetus: sed pater tamen fregit, & foro ac caussis interim mancipauit. Quas diu actitasse eum apparet, & Caij <sup>Vide Epistolam XLIX.</sup> etiam temporibus, magnâ eloquij gratiâ & famâ. Sanè scripta vlla Philo- sophica ante id æui non exstant.

## CAP. IIII.

*Honores, & civilis vita.*

**A**TQUE idem pater latum clauum sumere etiam suasit, honorum can- didatum. Itaque Quæsturam primò gessit, in quâ ad adipiscendâ suffra- gium materteræ suæ agnoscit. *Illa*, inquit, *pro Quæstura meâ gratiam* <sup>Consol. ad Helu. cap. xvi.</sup> *suam extendit, & quæ ne sermonis quidem, aut clara salutationis, susti- nuit audaciam, pro me vicit indulgentiâ verecundiam.* Quid feminæ hæc fuerit, & quo marito, in Notis meis ibi disces. Sed quando Quæsturam ges- serit, haud liquidò scio: ætas non abnuit, vt sub Tiberio: potuit & sub Caio, neque libet definire. Illud magis, Præturam statim ab exilio gessisse, Agrip- pinâ faciente. Ita enim Tacitus: *Agrippina veniam exsiliij pro Anneo Se-* <sup>xlii. An- nal.</sup> *necâ, simul Præturam impetrat (à marito) latum in publicum rata, ob clari- tudinem studiorum eius, utq; Domitij pueritia tali magistro adolesceret, & consilijs eiusdem ad spem dominationis vteretur.* Vides, Prætorum statim designatum: & laudes dotisque, quas Tacitus candidè adiungit. Vulgi be- niuolentia eo factò conciliabatur; quia iam vulgo in ore & gratiâ Seneca, *ob claritudinem studiorum*; denique *tali & tanto magistro* volebat Domitium suum crescere; itemque *consilijs eius* (nota civilem prudentiam) ad paran- dum Principatum, sed & regendum, niti. Ergo Prætor anno Urbis DCCCII. fuit: numquid postea & Consul? Affirmant libri legum, ad SC. Trebellia- num. vt Vlpianus: *Temporibus Neronis, octauo Kal. Septembres, Anneo Senecâ & Trebellio Maximo Coss. factum est Sc<sup>um</sup>.* Idem in Iustiniani II. Institutionum scriptum. Qui autem Fastos nobis concinnarunt, faciunt hos Consules suffectos (nam ordinarij non fuerunt) anno Urbis DCCCXV: quod



Annal.  
xiiii.

quod esset, anno & paucis mensibus ante Senecæ mortem. Aliquis de totâ re dubiter fortasse. quia Aufonius Gratiarum actione palàm: *Diues Seneca, nec tamen Consul*: itemque nec ipse Seneca meminit usquam huius honoris, etsi Epistolas plerasque tunc scripsit. Respondeo. de Aufonio, intelligendum Ordinarium consulatum videri: de ipso nostro, silentium non esse negationem. Sed hoc etiam addo, non videri benè digessisse Fastorum concinnatores: neque illo anno profectò fuit. Nam ecce statim initio anni, Tacitus memorat refrigeratam eius apud Neronem gratiam, & calumniatores variè vellicasse: atque ipsum animosâ oratione Principem accessisse, com meatum petentem, & opes suas refundentem. Non admisit quidem Nero: sed tamen Seneca ab eo tempore (addit Cornelius) *instituta prioris potentia commutat, prohibet cætus salutantium, vitat comitantes, rarus per urbem, quasi valetudine infensâ, aut sapientiæ studiis domi attineretur*. Hæc non sunt pro nouo consule, aut etiam candidato: & mors eius non diu post secuta vetat assentiri. Quid tamen mouit viros doctos sic suspicari? Quòd Tacitus illo anno *SC. factum* scribit, *ne simulata adoptio in ullâ parte muneris publici iuuaret, ac ne usurpandis quidem hereditatibus prodesset*. Sed profectò nihil hoc ad Trebellianum illud: aliò spectat, siquis priora etiam illa in Tacito legit. Itaque fuisse equidem Consulem consentio, sed alio & priore tempore: nec certò designem. At perpetuus ille eius honos, Principis doctorem moderatoremque fuisse: optimi sanè, quamdiu huius consiliis monitisque se dedit. Tacitus non celat, & duos nominat, quibus vtiliter Princeps se permisit. *Ibatur in cades, nisi Afranius Burrus, & Annaeus Seneca, se obiecissent. Hi rectores imperatoris iuuenta, & pari in societate potentia concordēs, diuersâ arte ex aquo pollebant. Burrus militaribus curis, & seueritate morum: Seneca præceptis eloquentiæ, & comitate honestâ: iuuantēs inuicem, quò facilius lubricam Principis aetatem, si virtutem aspernaretur, voluptatibus concessis retinerent*. O laudabilem conatum, & consensum! Consensum, qui nimis rarus in Aulis, vbi quisque ita eminere ferè vult, vt alium nolit. Sed ad Senecam:

## CAP. V.

*Prinata vita, uxores, liberi, exsilium.*Consol.  
ad Helu.  
cap. xxi.Lib. vi.  
cap. xvii.

**I**LLE in publico ecquid aliud gesserit, haud scio: priuatim reperio, aut certè colligo, in Ægypto adolescentem fuisse, occasione quòd auunculus Præfectus ibi esset. Nam scribit de materterâ, ad matrem: *Exemplum tibi suum, cuius ipse spectator fui, narrabit*. Spectator? ergo in nauigatione eâ adfuit (de quâ ibi) cum ex Ægypto matertera rediret. Et quomodo, nisi ipse etiam ex Ægypto? Planè ita fuit: & hæc causâ, cur pluscula de ipsâ Ægypto, & Nilo, curiosè libris (præsertim Quæstionum Naturalium) inspergat. Fortassis & ex Ægypto ad Indiæ oras iuit, per mare rubrum: atque ita de Indiâ commentari voluit, Plinio scriptum. Sed Romæ iam, vxorem duxit: quam, non est proditum; habuisse tamen, liberi euincunt. Nam ipse *Marcum blandissimum puerum*, multâ laude & affectu commemorat, ad *Heluiam* matrem:



matrem : neque ambigendum quin filius sit. Vel carmen eius doceat, vbi inter vota :

*Sic dulci Marcus qui nunc sermone fritinnit,*

*Facundo patruos prouocet ore duos.*

Nam vt illos audiam, qui ad *Marcum Lucanum*, hoc referunt, ratio non videtur. Atqui mentionem prioris vxoris non facit. Non in his libris, fateor: quid tum? nec Annæ etiam Melæ fratris nominatim. non ergo habuit? Et si videndum, an non de priore vxore capias ista : *Harpasten, vxoris meæ fratrem, scis hereditarium onus in familiâ meâ remansisse*. Vix enim est vt de Paullinâ sic loquatur, & sentiat : imò onus relegat ad defunctam vxorem, à quâ penes heredem cum aliâ familiâ mansit. Sed clariùs etiam alibi : *Cum sublatum est lumen, & vxor moris mei iam conscia conticuit*. Quæ vxor? illa prior. nam libri de Irâ, Caio adhuc viuo, videntur scripti, in loco nobis doctum. At Paullinam post exilium denique duxit, nobilem faminam : quæ, inquam, iam seni nupsit, & potenti in aulâ. Quod ipsum Dio quoque, aut quisquis ille apud Dionem fuit, obiiciendum Senecæ putauit : nempe quòd ætate grauis iuuenulam illam duxisset. Talis vterque fuit, & ipse Seneca prodit : *Hoc ego Paullinæ meæ dixi, quæ mihi valetudinem meam commendat*. Venit mihi in mentem, in hoc senex & adolescentem esse, cui parçitur. Adolescentem? ipsam Paullinam. Sanè amans ea viri, vt ibi pluribus iactitat : nec falsò, & in morte eius ostendit, cui suam (quod in ipsâ fuit) iuit iunctum. Postea videbimus. Atque istæ vxores : & alia vita quieta, & ferè sine offensa, excipio grandem illum exilij casum. Nam sub Claudio, primo imperij eius anno, cum *Julia* Germanici filia accusata adulterij esset (Dij Deæque, à Messallinâ!) & ipsa extorris est acta; & quasi inter adulteros Seneca, in Corsicam relegatus. Verane culpa fuerit, non dicam : nolim, & Tacitus fortasse mecum. qui, vbi de exilio : *Seneca in sensus Claudio, memoriâ iniuriæ credebatur*. Nota, iniuriæ : ergo hæc ei facta. Et sanè quis alias accusationes impudicissimi illius scorti (Messallinam dico) & damnationes huius obnoxie pecudis (Claudij) ignorat? Neque enim aliquid mali ferè, nisi bonis & infantibus, sunt machinati. Vixit in exilio annos circiter octo : & fortiter, imò vt ipse ait, feliciter vixit, optimis studiis meditationibusque intentus. Ita enim ad matrem : *Inter eas res beatum se esse, quæ solent miseros facere* : & pulcherrimè deinde (vide, sodes) philosophatur. Addit in extremo, & assurgit : *Qualem me cogites, accipe : latum & alacrem, velut optimis rebus. Sunt autem optima, cum animus omnis cogitationis expers, vacat operibus suis, & modo se leuioribus studiis oblectat, modo ad considerandam sui vniuersi, naturam, veri auidus, insurgit*. O hominem, ô verba honesta! quæ imitari Octauæ tragœdiæ auctor (non enim ipse : apage.) voluit, his versibus, in personâ Senecæ :

*Meliùs latebam, procul ab inuidiæ malis*

*Remotus, inter Corsici rupes maris.*

*Vbi liber animus, & sui iuris, mihi*

*Semper vacabat, studia recolenti mea.*

B 3

O quàm



*O quàm iuuabat (quo nihil maius parens  
Natura genuit, operis immensi artifex)  
Calum intueri, Solis & currus sacros!*

Hæc meliora, veriora etiam, quàm quæ in Consolatione ad Polybium abie-  
ctè nimis & demissè scribuntur: & an à nostro Senecâ? Dubitare non semel  
subiit, & pænè abdicare. Quomodocumque, homo fuit: & illud certè scri-  
ptum non nisi inimici protraxerunt, & publicarunt: fortasse & macularunt.  
Sed notes in Senecæ suprâ verbis, *Leuioribus etiam ibi studiis se oblectasse*:  
quæ Poëtica censeo: & exstat in iis *Medæa*: quam in exilio scriptam, quo  
tempore Claudius Britanniam subegit, mihi pænè certum: atque ad eò ar-  
gumentum illud elegit de Iafone, vt aliquid inspergeret scilicet de Oceano  
subactò. Sanè versus illi in Choro quò, nisi ad Claudium, spectant?

*Parcite ô diui, veniam precamur,  
Viuat vt tutus, mare qui subegit. Iterumque:  
Jam satis diui mare vindicastis,  
Parcite diuo.*

Quod item ad Claudium, et si viuum: & Deos Deo vult parcere, poeticâ  
adulatione.

## CAP. VI.

*Opes eius, Villa, agri, fanus.*

**S**ED ab exilio reuersus statim in splendore iterum fuit, opum iam tunc,  
& ante Aulam, largus. Nam pater eas reliquerat, nec omnes suæ indu-  
striae aut fortunæ debet. Ipse ad matrem: *Tu filia familias locupletibus filiis  
vltro contulisti*. Liberalitatem eius laudat, eò magis quòd in *locupletes*, vt  
ait, nec sanè egentes. Hæc ante Aulam: at in ipsâ ingentes opes quæsiuit, si-  
ue potius venientes vltro admisit. Plerasque enim ex Principis munificentia  
habuit: atque ipse ita ad Neronem, in Tacito nostro. *Tu, inquit, gratiam  
immensam, innumeram pecuniam dedisti: adeò vt plerumque intra me ipse  
voluam, Vbi est animus ille modicis contentus? Tales hortos instruit, &  
per hæc suburbana incedit, & tantis agrorum spatiis, & tam lato fanore  
exuberat?* Nota Hortos, Villas, Agros, Fænus, omnia laxè & vbertim. Vis  
iterum Taciti verba, sed ab alieno ore & sensu? *Calumniatores, inquit, va-  
riis criminationibus Senecam adoriuntur, tamquam ingentes, & priuatum  
supra modum euectas opes, adhuc augeret: quodq; studia ciuium in se verte-  
ret: hortorum quoque amœnitate, & villarum magnificentia quasi Princi-  
pem supergrederetur.* Et Suillius, apud eundem, modum etiam opum ex-  
pressit: *Quâ sapientia, quibus Philosophorum præceptis, intra quadriennium  
regiæ amicitia, ter millies HSS. parauisset? Roma testamenta & orbos, velut  
indagine eius capi: Italiam & prouincias, immenso fanore hauriri.* Is mo-  
dus nobis esset, *septuagies quinquies centena millia Philippicorum.* Opes  
pænè regiæ, fateor: sed de malis artibus & captaturâ, quod adiungit, ad sper-  
namur. Habuit antè censum magnum, vt dixi: & in copiosâ illâ Aulâ, &  
amplâ



amplâ re Romanâ, quid mirum si auxit? Sed ait etiam, *Italiam & provin-*  
*cias fenore eius hauriri.* Significat, fœnebrem variis locis pecuniam habuisse:  
 & suspicor etiam in Ægypto. Id ex epistolâ, quâ scribit nauis Alexandrinâs <sup>Epist.</sup>  
 subito aduenisse, omnes concurrisse in portum aut litus: *at ego, inquit, in* <sup>LXXVII.</sup>  
*hoc omnium discursu, magnam ex pigritiâ meâ sensi voluptatem, quòd epi-*  
*stolas meorum accepturus, non properavi scire, quis illic esset rerum mearum*  
*status, quid afferrent.* *Olim iam nec perit mihi quidquam, nec acquiritur.*  
 Habuit ibi suos (nempe actores, aut procuratores) & res eius agebatur: ergo  
 in pecuniâ aliquâ grandi, aut & agris. Nam trans mare possedisse, vt illa  
 ætas & copia erat, nihil nouum. Enimuerò Dio inter caussas etiam Britan-  
 nici belli recenset, quòd *Seneca cum quadringentis* HSS. (sunt decies centena  
 millia Philippicorum) *magno fenore Britannis credidisset, vniuersam illam*  
*pecuniam vno tempore repetebat.* An verè hoc, nescio: vbique enim infen-  
 sus, & ex professo hostis, est nostro: tamen à vero non abit, etiam illic pecu-  
 niam habuisse. Quid iam Hortos, & Villas? plures habuit, & cum vario  
 instructo. Iuuenalis attigit: — *Seneca prædiuitis hortos.* Sed & ipse vil-  
 las suas commemorat: *Nomentanam, Albanam, itémque Baianam:* &  
 habuit sanè plures. Sed & Domum in vrbe, quæ nomen apud posteros te-  
 nuit: locatque *Seneca domum, in regione X. P. Victor.* Iam & supellex inui-  
 diam habuit, obiicitque Dio *πυλῶνας τετραδας κεδρίων ἔβλα, ἐλεφάντινας,*  
*ἰσὶς ἡ δούρας: quingentas mensas è cedro, cum eburneis pedibus, similes omnes*  
*est æquales.* Magnum hoc fuit, si verum (nam ita semper in Dionis obiectioni-  
 bus cauendum est: ) magnum, tot illas mensas habuisse, quarum vna aliqua  
 taxari vel latifundij æstimatione solet. Sed non tam lectas aut raras fuisse has  
 oportet: quid si nec fuisse? Non, quin moris, lautis & luxoriosis habere. ita  
 enim & Martialis de quodam:

*Et Mauri Libycis centum stant dentibus orbes,*

*Et crepat in nostris aurea lamna toris.*

Lib. ix.  
epigr.  
xxiii.

Nam in magnis conuiujs, singulis suas mensas anteponebant (alibi adnotan-  
 dum) & hoc sine sic plures habebant. Non, inquam, eò nego aut dubito.  
 sed quia ipse Seneca tangit & castigat hanc insaniam sapiùs; etiam in Aulâ  
 & senex, libris de Beneficijs, quos tunc scripsit. Quid, quòd in illo De Tran-  
 quillitate (sub initium) palàm negat *placere sibi mensas varietate macula-*  
*rum conspicuas,* nec solere vti? Mira hæc impudentia, in re conspicuâ & eius  
 æui oculis obiectâ, palàm sic dissimulare, aut mentiri. Non arbitror; & ma-  
 gis Dionem, aut cui Dio partes has adsignat. Nam ex oratione aliquâ ad-  
 uersariâ hæc videri, \*alibi adnotauit: atque obiter ibi diuitiarum crimen di-  
 lui, legendum si quis volet. Sed magis ipsum Senecam legat, qui sub hoc tem-  
 pus *De vitâ beatâ* librum edidit: in quo scopum habet aduersus criminan-  
 tes se tueri. O elegantem, ô sapientem libellum! & calumniam hoc ipso ca-  
 ram, quòd fuerit huic eliciendo.

\*l. Manu-  
duâ. Diff.  
xviii.



## CAP. VII.

*Mores, & primum abstinentia, veritas, sanctitas pietasq.*

**S**ED Mores ipsi etiam hoc de Opibus refutant: & vsum iis clamant, non Sabulum. Quid enim in fastum, luxum, pompam? doceant, & filemus. In cibos fortasse, & lautitiam? Audiamus ipsum, in publico profitentem: *Ego cum Attalum audirem in vitia, in errores, in mala vita perorantem, saepe misertus sum generis humani, & illum sublimem altioremq; humano fastigio credidi. Cum cœperat voluptates nostras traducere, laudare castum corpus, sobriam mensam, puram mentem: non tantum ab illicitis voluptatibus, sed etiam superuacuis, libebat circumscribere gulam & ventrem. Inde mihi quadam permansere Lucili. magno enim ad omnia impetu veneram: deinde ad civilem vitam reductus, ex bene cœptis pauca seruavi. Inde ostreis boletisq; in omnem vitam renunciatum est: inde in omnem vitam unguento abstinemus: inde vino caret stomachus: inde in omnem vitam balneum fugimus. Quæ talis alibi frugalitas, an quo nomine appellanda? Et scripsi de eâ in \*Laudatione Senecæ: ne hic iteremus. Iam reliqua etiam vita seria & seuera. Non corrumpit eum Aula, nec ad familiare & cognatum panem vitium Adulationem flexit. Minimè. ipse ad Neronem: Diutius morari me hic patere, non ut blandiar auribus tuis: nec enim mihi hic mos est: maluerim veris offendere, quàm placere adulando. Et iam moriturus, apud Tacitum, referri iubet Principi: Non sibi promptum in adulationes ingenium: idq; nulli magis gnarum, quàm Neroni, qui sapius libertatem Senecæ, quàm seruitium expertus esset. Amplius, quæ morum vitæque exactio, & examen? Iterum ipse: Utor hac potestate, & cotidie apud me causam dico. Cum sublatum è conspectu lumen est, & conticuit vxor moris iam mei conscia, totum diem mecum scrutor, facta ac dicta mea remetior. Nihil mihi abscondo, nihil transeo: quare enim quidquam ex erroribus meis timeam, cum possim dicere, Vide ne istud amplius facias, nunc tibi ignosco? Potest maius aut clarius studium elucere Virtutis? Denique & pietas in Deum & submissio, quoties apparet? Vnum excerptum posuero: Siquid credis mihi, intimos affectus meos tibi cum maxime det ego: in omnibus quæ aspera videntur & dura, sic formatus sum. non pareo Deo, sed assentior; ex animo illum, non quia necesse est, sequor. Nihil umquam mihi incidet, quod tristis excipiam, quod malo vultu: nullum tributum inuitus conferam. Et plura sunt talia, in *Manuductione*, aut *Physiologia*, à nobis notata. Imò tam claræ quædam pietatis, vt Tertullianus & præci *Nostrum* appellent, Concilia ipsa quædam auctoritate eius (in Fragmentis posui) vrantur. Atque adeò Otho Frisingensis asserat: *L. Senecam non tam Philosophum, quàm Christianum dicendum.* Atque ob has eminentes virtutes, etiam illo æuo, ingens de eo opinio, & vel Imperio destinabant. Tacitus apertè hoc agitatum scribit: *vt traderetur imperium Senecæ, quasi insonti, claritudine virtutum ad summum fastigium dilecto.* O Roma, non manebat te hæc felicitas, nec Deus sic respexit! Alioqui,*

*Libera*

Epist.  
CVIII.

\* 1. Ma-  
nud. Diff.  
XIX.

II. De  
Clem.

xv. An-  
nal.

III. De  
Ira.

Epist. xc.  
VI.

xv. Ann.



*Libera si dentur populo suffragia, quis tam  
Perditus, ut dubitet Senecam præferre Neroni?*

Iuven.  
Sat. x.

At enim de veris virtutibus eius quidam dubitant, & verba hæc ac scenam fuisse. An igitur in morte fidem non fecit, quam omnia humana in leui haberet, quam Deo se præberet?

## CAP. VIII.

*Mors eius, fortis, constans, è Tacito narrata.*

**E**T de eâ commodum videamus: unde autem potius, quam è fidissimo scriptorum Tacito hauriemus? Verba eius ecce habes:

*Sequitur cædes Annai Senecæ latissima principi, non quia coniurationis manifestum compererat, sed ut ferro grassaretur, quando venenum non processerat. Solus quippe Natalis, & hætenus prompsit: missum se ad ægrotum Senecam ut viseret conquerereturq̄, cur Pisonem aditu arceret: melius fore si amicitiam familiari congressu exercuissent. Et respondiße Senecam, sermones mutuos & crebra colloquia neutri conducere: ceterum salutem suam incolumitate Pisonis inniti. Hæc ferre Granius Siluanus tribunus pratorie cohortis, & an dicta Natalis, suaq̄ responsa nosceret, percontari Senecam iubetur. Is, fortè an prudens, ad eum diem ex Campaniâ remeauerat, quartumq̄ apud lapidem suburbano rure substiterat. Illo propinquâ vesperâ tribunus venit, & villam globus militum sepsit. Tum ipsi cum Pompeiâ Paulinâ uxore & amicis duobus epulanti mandata imperatoris edidit. Seneca missum ad se Natalem, conquestumq̄ nomine Pisonis quod visendo eo prohiberetur, se ratione valetudinis & amore quietis, excusauisse respondit. Cur salutem priuati hominis incolumitati suæ anteferret, causam non habuisse, nec sibi promptum in adulationes ingenium: idq̄ nulli magis gnarum, quam Neroni, qui sapius libertatem Senecæ, quam seruitium expertus esset. Vbi hæc à tribuno relata sunt, Poppæâ & Tigellino coram, quod erat sauenti Principi intimum consiliorum, interrogat, an Seneca voluntariam mortem pararet. Tum tribunus nulla pauoris signa, nihil triste in verbis eius aut vultu deprehensum confirmavit. Ergo regredi & indicere mortem iubetur. Tradit Fabius Rusticus, non eo quo venerat itinere reditum, sed flexisse ad Fenium præfectum, & expositis Cesaris iussis, an obtemperaret interrogauisse: monitumq̄ ab eo, ut exsequeretur, fatali omnium ignauia. Nam & Siluanus inter coniuratos erat, augebatq̄ scelera in quorum ultionem consenserat. Voci tamen & aspectui pepercit. Intromisitq̄ ad Senecam vnum ex centurionibus, qui necessitatem ultimam denunciaret. Ille interritus poscit testamenti tabulas: ac denegante centurione, conuersus ad amicos, quando meritis eorum referre gratiam prohiberetur, quod vnum iam tamen & pulcherrimum habebat, imaginem vitæ suæ relinquere testatur, cuius si memores essent, bonarum artium famam tam constantis amicitia laturos. Simul lacrymas eorum, modo sermone, modo intentior in modum coercens, ad firmitudinem reuocat, rogans: Vbi præcepta sapientiæ? Vbi tot per annos medi-*

tata



» tataratio aduersum imminetia? Cui enim ignaram fuisse scuitiam Nero-  
 » nis? neque aliud superesse post matrem fratremq; interfectos, quam vt edu-  
 » catoris praeceptorisq; necem adiiceret. Vbi hac atq; talia velut in commune dis-  
 » seruit, complectitur uxorem. & paululum aduersus presentem formidinem  
 » mollitus, rogat oratque temperaret dolori, ne aeternum susciperet, sed in con-  
 » templatione vitae per virtutem acta, desiderium mariti solatiis honestis tolera-  
 » ret. Illa contrà, sibi quoque destinatam mortem adseuerat, manumq; percus-  
 » soris exposcit. Tum Seneca gloria eius non aduersus, simul amore, ne sibi  
 » vnice dilectam ad iniurias relinqueret: Vita, inquit, delinimenta monstra-  
 » ueram tibi, tu mortis decus manuis. non inuidebo exemplo. Sit huius tam for-  
 » tis exitus constantia penes utrosque par, claritudinis plus in tuo fine. Post  
 » qua, eodem ictu brachia ferro exsoluunt. Seneca, quoniam senile corpus &  
 » paruo victu tenuatum, lenta effugia sanguini praebebat, crurum quoque &  
 » poplitum venas abrumpit. Suisq; cruciatibus defessus, ne dolore suo animum  
 » uxoris infingeret, atque ipse visendo eius tormenta, ad impatientiam dela-  
 » beretur, suadet in aliud cubiculum abscederet. Et nouissimo quoque momen-  
 » to suppeditante eloquentiâ aduocatis scriptoribus, pleraque tradidit, quae in vul-  
 » gus edita eius verbis, inuertere supersedeo. At Nero nullo in Paulinam pro-  
 » prio odio, ac ne glisceret inuidia crudelitatis, inhiberi mortem imperat. Hor-  
 » tantibus militibus, serui libertiq; obligant brachia, premunt sanguinem, in-  
 » certum an ignara. Nam vt est vulgus ad deteriora promptum, non desuere  
 » qui crederent, donec implacabilem Neronem timuerit, famam sociata cum  
 » marito mortis petiuisse; deinde oblatâ mitiore spe, blandimentis vitæ eui-  
 » ctam: cui addidit paucos postea annos laudabili in maritum memoriâ, & ore  
 » ac membris in eum pallorem albensibus, vt ostentui esset, multum vitalis spi-  
 » ritus egestum. Seneca interim durante tractu, & lentitudine mortis, Statium  
 » Annaum diu sibi amicitia fide & arte medicina probatum, orat prouisum  
 » pridem venenum, quo damnati publico Atheniensium iudicio exstingue-  
 » rentur, promeret: allatumq; hausit frustra, frigidis iam artibus & clauso  
 » corpore aduersum vim veneni. postremo stagnum calidæ aquæ introijt, resper-  
 » gens proximos seruorum, additâ voce, Libare se liquorem illum Ioui libera-  
 » tori. Exin balneo illatus, & vapore eius exanimatus, sine vilo funeris sol-  
 » lenni crematur. Ita codicillis praecripserat, cum etiam tum pradiues & prae-  
 » potens, supremis suis consuleret.

Hæc Tacitus: neque pigebit insistere leuiter, & examinare, aut illustra-  
 re. Ait, *latissimam Principi hanc cadem.*] Iamdiu enim grauabatur boni re-  
 ctique hunc doctorem, & reuerentiæ illud frænum (quod vel inuito inhære-  
 bat) semel excutere voluit, eo sublato. Tamen aliter iurauerat, vt Suetonius  
 prodidit: *Senecam, inquit, praeceptorem ad necem compulit, quamuis sæpè  
 com meatum petenti, bonisq; cedenti, persanctè iurasset, suspectum se frustra,  
 periturumq; potius, quam nociturum ei. Iurauit, id est Deos quoque illudit.*  
 Ait, *Quando venenum non processerat.*] Tentauerat enim, & ita idem Tacit-  
 us supra: *Tradidere quidam, venenum Senecæ per libertum ipsius Cleoni-  
 cum paratum, iussu Neronis; vitatumq; à Senecâ, proditione liberti, seu  
 propriâ*



propria formidine, dum simplici victu, & agrestibus pomis, ac si sitis admoneret, profuente aqua vitam tolerat. Pergit, An prudens.] Quasi gnarus coniurationis, & diei destinatae. Item, Ex Campaniâ remeauerat.] E villâ aliquâ ibi suâ. Et sanè ibi ante obitum sæpè in secessu vixit, & plerasque Epistolarum ad Lucilium scripsit. *Quartumq; apud lapidem.*] In villâ item aliquâ suâ. An Nomentanâ? Hoc Xicho Polentinus scripsit, sed merâ, puto, coniecturâ. Neque Tacitus admittit, qui de *quarto lapide* ab vrbe prodit: atqui Nomentum vel *duodecimum* distat. *Nulla pauoris signa.*] Eudignam Philosopho, & quidem Stoico, mortem: quam & sequentia deprædicant. *Imaginem vitæ suæ.*] Obsecro, si foedus Seneca, vt Dio voluit, hæcne de vitâ suâ, in clausulâ diceret? amicos scilicet, & arbitros eius cottidie, sic falleret? *Modo sermone.*] Leniter, & vt in alloquiis. *Aduersus præsentem formidinem mollitus.*] Non rescribo temerè: tamen ambigat aliquis, an non *mollitam*, & ad vxorem referatur. Sequentia videntur inducere, cum rogat temperaret dolori, & quæ iungit. *Vitæ, inquit, delinimenta.*] Hæc & pleraque alia, sunt ipsa Senecæ, aut certè similia: quia exstabant vulgata, vt mox dicet. *Senile corpus.*] Meo calculo LXXIII. aut quattuor annorum. Neque vltiâ fuisse, Neronis illa ad Senecam euincunt, non diu antè prolata, apud Tacitum: *Verum & tibi valida ætas, rebusq; & fructui rerum sufficiens:* quæ de seniore haud verè dicas. *Aduocatis scriptoribus.*] O virum, ô animi robur! in ipsâ etiam morte dictare, quod posteros iuuaret. Neque enim ambigendum, talia fuisse, ac constantiæ & sapientiæ mera præcepta. Argumentum, quod *in vulgus edita:* haud futurum, nisi præclara aliqua essent. Et quia edita, Tacitus omisit. ô improvidè factum! & nobis quoque cygnas illas voces audire vel leui aure esset? *Stagnum calidæ aquæ.*] Solium. & tunc primùm calidâ vsus, cum non vltiâ vsurus. *Balneo illatus.*] Laconico & sicco, vt opinor. Nam vapore, & acrimoniâ caloris, exanimatum ostendit. *Cum etiam tum prædiues & præpotens.*] Aliquid est, in quo Tacitus carpere videtur: nec satis tamen capio. Tacitum funus voluit, & sollennia eius venit: sed quomodo in eo *supremis suis consulit?* An ne testamentum Nero rumperet? qui fortasse heres in parte magnâ scriptus, & nolebat sibi per impendia aliquid perire. An in eo parcimoniam Senecæ tangit? sed verba examinata non huc eunt. Alius videbit.

## CAP. IX,

## Corpus, morbi, forma.

**F**INIVI, nisi placet de Corpore aliquid addi: & iuuat magnorum ingeniorum etiam habitacula, vt sic dicam, nouisse. Corpore igitur à pueritiâ infirmo fuit. Ipse de matertera, postquam in urbem perlatus esset: *Illius pio* Conf. ad Helu. cap. xvi. *maternoq; nutricio, PER LONGVM TEMPVS eger, conualuit.* Et in epistola quâdam: *Longum mihi commatium valetudo dederat, repente inuasit. Quo* Epist. 111. *genere? inquires. Prorsus merito interrogas: adeo nullum mihi ignotum est. Vni tamen morbo quasi assignatus sum: quem quare Græcò nomine appellem, nescio:*



\* *Albina*. nescio: satis enim aptè dici *Suspirium* potest. Et mox addit: OMNIA corporis aut incommoda, aut pericula, per me transierunt. Vide senem, benè exercitatum! qui etiam adolescens *Destillationibus* vexatus fuit, & per eas videbatur ad tabem ire. Ipse iterùm: *Vexari te destillationibus crebris ac febriculis, eò molestius mihi est, quia expertus sum hoc genus morbi, quod inter initia contempsi. Poterat adhuc adolescentia iniurias ferre, & se aduersus morbos contumaciter gerere: deinde succubui, & eò perductus sum, ut ipse destillarem.* Ad summam maciem deductus, saepe impetum cepi abrumpenda vitæ: patris me indulgentissimi senectus retinuit. Satis clarè scribit, de macie suâ, & marcore: nec mirum Caligula sic à feminâ persuasum. Scribit enim Dio, cum causam quandam in Senatu egregiè & feliciter Seneca egisset, liuore suffusum illum Principem, qui solus videri eloquens volebat, cogitasse de Seneca tollendo: & fecisset, nisi una e concubinis admonuisset, Frustrâ mortem parariam morituro: tabe quippe laborare. Credidit, & saluti ea res Senecæ fuit. Adeò verum est, quod ipse (an huc adspiciens?) scripsit: *Multorum mortem distulit morbus, & saluti illis fuit, videri perire.* Ceterùm corpore sicco & exhausto ad extremum fuit: quid mirum vel à morbis, vel magis à studiis? Et Tacitus etiam tertiam causam adiungit: *Corpus paruo victu tenuatum.* Neque id formosum fuisse, indicare videtur ipse Seneca alibi: *Quòd libros meos petis, non magis ideò disertum me puto, quàm formosum, si imaginem meam peteres.* Tangit, non fuisse: & imago quæ à Fulvio quidem Vrsino prodita est, non præfert dignum illo animo vultum. Est ista:



Epist.  
CIIII.  
Lib. III.  
cap. VI I.  
Epist.  
CXII.

Ceterùm, corpus etsi tenue, firmabat exercitiis durioribus: ut cultu agri, & fossione vinearum: cuius meminit in Epistolâ quâdam, & *Questionibus Naturalibus*: vbi *diligentem vinearum fossorem* se appellat: itemque vniuersè hortorum. quod *artificium* etiam *suum* dicit.

CAP.



## CAP. X.

Libri, qui non exstant.

DE Corpore tantum est: nec ab eo nobis fructus: ab animo maximi, & per Indicem videamus. Scripta enim eius exstant multa, plura non exstant: & hæc, quod cruere potui, hîc dabo. Perierunt igitur, primùm

VERSUS eius & poemata, quoscertum est vbertim scripsisse. Ipse in exilio fecisse ostendit, & Tacitus, iam etiam senioem, & in Aulâ. Ita enim invidi calumniantur apud Neronem: *Obijciebant etiam, eloquentiæ laudem vni sibi ad-* Lib. XIII.  
*sciscere, & Carmina crebrius factitare, postquam Neroni amore eorū venisset.*

ORATIONES, siue causarum Actiones. Egit multas & illustres, atque in ipso Senatu: vt omittam quas Principi scripsit, in Senatu item recitandas. Neque dubito *Edicta* ad populum, & *Epistolas* grauiores, ab illo conscriptas, aut dictatas: quorum omnium leuis memoria superest, & tulit, vt solet, æuum.

DE TERRÆ MOTV liber, quem iuuenem se scripsisse ipse testatur vi. Nat. Quest. cap. IV. Non desideres, quia eamdem materiam, in iisdem Questionibus, retractauit.

DE MATRIMONIO. Fueritne liber, an Epistola, nescio: sed citat Hieronymus adu. Iouinian. lib. I.

HISTORIA, aut compendium. ex Lactantij vii. cap. xv.

DE SUPERSTITIONE liber, haud dubiè inter sapientes. Laudat & excerpit quædam Augustinus vi. De Ciuit. Meminit & Tertullianus in Apologetico.

DIALOGI. quos Fabius nominat, nec vltra.

MORALIUM libri. Lactantius citat lib. II. cap. II. atque alibi, & ipsemet noster epist. CVI. initio, & epist. CIX. Scripsit in extremo, vt inibi apparet: ò insigne opus, & lugeo interreptum.

EXHORTATIONVM libri. Plures enim fuerunt, è Lactantio, & Fragmenta nostra vide. Hoc ipsum quis non inter egregia operum censebit reponendum? Sunt alia, sed quæ incertò ad hunc referas: vt *Notarum* libros, qui patris magis fuerunt. Item *De Causis*. Ita enim scriptor innominatus Rerum Britannicæ: *Seneca De causis commemorat, Catonem oratoris officium desinientem dixisse, Orator est vir bonus dicendi peritus.* Sed is quoq; Patrem spectat, & sunt Controuersiarum libri: in quorum primo, Præfatione ipsâ, hoc Cato nis reperies ibi citatum. Siquid me etiam fugit, in Fragmentis reperies: etsi minora non tam effugiunt, quam patior elabi.

Sed heus, EPISTOLAS ad *Diuum Paulum* non memoramus? Quæ nunc sunt, non sunt tanti: imò certum est eiusdem auctoris, & Pauli & Senecæ, illas esse, & compositas à semidocto in ludibrium nostrum. Tentat Latinè loqui, quisquis auctor fuit. Ergo inter se non scripserunt? <sup>a</sup> Hieronymus, <sup>b</sup> Augustinus; atque etiam antiquior vtroque <sup>c</sup> Linus Pontifex, asserunt, & passiuâ opinio olim fuit. Atque adeo <sup>d</sup> Io. Sarisberienis fortiter: *Desipere videntur, qui non venerantur eum, quem Apostolicam familiaritatem meruisse constat.* Itaque reiicere hoc totum & calcare non ausim: fuerint aliquæ, sed aliæ: si istæ, requiro iudicium optimorum Patrum. Sed quid alij etiam de Senecâ, videamus.

<sup>a</sup> De scriptoribus  
Eccles.  
<sup>b</sup> Epist.  
LIII. ad  
Maced.  
& vi. De  
ciuit. c. x.  
<sup>c</sup> De pas-  
sione D.  
Pauli.  
<sup>d</sup> Lib. VII.  
Polyerat.  
cap. XII.

C

DE